

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

LVIII. De sancto Gabriele.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

stabit terrestris paradisi; et cum iudicium suum Deus fecerit, ipse etiam abolebitur cœlestis paradisi, nam in domo communi omnes habitabunt qui ad Deum venire poterunt, nec infirmorum aliqua supererit domus; qui enim ad Dei regnum pervenit, ab omni liber est infirmitate. Laudetur Jesus Christus, qui nobis suum regnum concessit.

LVIII. DE SANCTO GABRIELE.

SANCTE Gabriel Angele, memento mei ! Mei desiderii nuntium commendo tibi : meo dilectissimo Domino Jesu Christo nuntia quantum præ amore ad illum sim ægrotans, et si quando inde sanari debeam, ipsum meum esse medicum necesse est. Illi fideliter explica vulnera quæ mihi ipse infixit, quæ diutius non inuncta nec alligata ferre nequeo. Vulneravit me usque ad mortem, et nunc cum me non unctam relinquit, sanari nunquam potero. Et si montes universi vulneribus aptum unguentum, et aquæ omnes salutaris potus, et quæque arbores cum floribus salutaris alligatura vulneris essent, nondum inde usquam sanarer. Sancte Gabriel Angele, memento mei ! hunc amoris nuntium commendo tibi.

Quicumque Deum diligere voluerit, hæc amatoria epistola ejus exciet sensum, si Deum sequi desideraverit.

LIX. QUALITER ANTE DEUM NUNTIUS ADVENIT.

VERITATEM in spiritu meo optime accepi, meum nuntium ad Deum pervenisse. Responsum vero quod mihi referendum est, tam magnum, tam potens, tam profundum, multimodum, deliciosum et luminosum est, ut accipere illud nequeam, quamdiu terrestris homo ero; verum breve tempus ab hac misera vita discedam, sicque ibi nunquam amplius manebo. Verum tamen de hoc cito silere cogor; nec mihi plus inde licet concipere quam quis posset manifesto exprimere; magis enim sanctum Gabrielem in referta deliciis gloria, in cœlo-